B. N. C
FIRENZE
1141
9

1141 9

HENRICVS STEPHANVS
EPISCOPO BENEVENTA[illegible]

QVVM ti[illegible] Romam hinc proficiſcenti comitem me it[illegible] ingere uiſum fuiſſet, Ioannes Caſa, uir doct[illegible]ime, ſed illam alioqui optatiſſimam συνοδίαν quæd[illegible] mea negotia mihi tum inuiderent: ita à te diſce[illegible] vt primo autumno me tuo vel potius meo deſiderio ſatisfacturum promitterem. Nunc iam Septembrem totum mendax deſideror, non mea hercule, ſed improbiſſimi cuiuſdam hominis culpa, cuius quum fide mea fides niteretur, ſua ille [illegible] meam ſeruare poſſem, impedimento fuit. Quod autem [illegible]ttinet, quas me Latinas reliquis meis additurum [illegible] habeto. Quum earum exemplaria duo in ma[illegible] Ioannis [illegible]lementis Britanni (cui [illegible]uantum debeant, dici vix poteſt) beneficio conſe[illegible]ſſem: alterum deinde poſt longam peregrinationem ex Italia Lu [illegible]reuerſus, mecum attuliſſem: feci vt hæc duo exemplaria, quo[illegible]eutrum per ſe ſatis poterat, operas, vt ita dicam, mutuas traderent. non multo uerò pòſt adhibita quanta maxima adhiberi à me potuit diligentia illas in hominum uenuſtiorum gratiam edere non recuſaui. Vt autem etiam Græcæ linguæ ignaris commodarem, eaſdem Latinas factas cum Græcis copulaui: non omnes quidem (non enim id patiebatur litium mearum importunitas: quæ ſibi optimas horas maximo meo dolore vendicabant) ſed eas tantummodo, quæ vt integerrimæ, ita etiam elegantiſſimæ videbantur, & è quarum plurimis apud aliquem antiquum auctorem deprompta teſtimonia reperiebantur. Ad reliquas autem uertendas, quibus mendæ multæ, quaſi quædam nebulæ, tenebras offunderent, quum nunc aggredi inſtituiſſem, iniectus mihi ſubito ſcrupulus ab incepto referre pedem coegit. fore enim exiſtimaui, vt de hoc lepidiſſimo poeta peſſimè mererer, ſi quæ à Græca legentibus, vt temporum iniuria deprauata, veniam facile impetrant, ea ego Latina faciens

poetam quodammodo traducerem. Mutato
. mea de rebus ruſticis carmina, ruſticationis meæ fru-
icreontis odis ad te mittenda cenſui: adiunctis etiam ali-
quot trium elegantiſſimorum poetarum opuſculis, tum quòd argumento
meo conuenirent: tum quòd vbi ab Anacre ... diſceſſiſſem, in nullis ma
gis, licet diuerſo in genere, quidam ſimplicitatis antiquæ πῖνος efflore-
ſcere videretur. Cuius quidem tu quantus ſis admirator, quoties, inter-
miſſa pauliſper contentione cum eo quem ita feliciter æmularis Horatio,
carmen tenuare libuit, re ipſa ſatis docuiſti. De me quoque vt fatear, il-
la ἀφέλεια, quæ non exit in ψυχρότητα, & ille ſponte naſcens mi-
nimeq; affectatus lepos, ſed quem nulla affectatio conſequi poſſit, illud
inquam ſcribendi genus ἀποίητον, & vt ait poeta ille, non elaboratum
neſcio quo modo maxima me ſemper uoluptate affecit
mido gaudeat Antimacho. Vale. Venetijs,

MOSCHI, BIONIS, THEOCRITI
IDYLLIA ALIQVOT AB
Henrico Stephano Latina facta.

MOSCHI.

Hoc primum Moſchi idyllium, ut elegantiſsimum, ita deprauatiſsimum in libro Græco eſt. Quare Latina hæc non ad ea quæ illic leguntur, ſed ad ea quæ legi debent, examina. de quibus dicemus in calce huius libelli.

QVVM mare tranquillum tenui perſtringitur aura,
Tunc animus geſtit, nec, vt antè, tenetur amore
Muſæ, ſed placidi rapit hunc pellacia ponti.
At ſimul iratum turgentibus æſtuat vndis,
Inſanúmq; fremens, ſpumis caneſcere cœpit,
Tum verò fugiens, terram reſpecto: nihílq;
Tellure eſt fida, nemoríſq; optatius vmbra,
Pinus vbi ad flantes argutum ſibilat auſtros.
Piſcator miſer heu, domus eſt cui concaua puppis,
Cui labor in pelago, fallax venatio, piſces.
At mihi ſit platani requieſcere dulce ſub vmbra,
Et fontis lenem vicini audire ſuſurrum,
Qui ſtrepitu oblectat, non autem exterret agreſtem.

EIVSDEM.

Pan vicinæ Echûs, Satyri ſaltantis at Echô,
Lydæ autem Satyrus magno flagrabat amore.
Quantum Echo Panem, tantum Satyriſcus & illam
Vrebat, tantum & Lyda vrebat Satyriſcum.
Sic flammas illis amor alternabat eaſdem.
Nanq; ſuum exoſus quantum quiſq; eſſet amantem,
Tanto erat iis odio quibus ipſe volebat amari.
His doceo exemplis te quiſquis amare recuſas.
Si quis amet, redames: vt amans, redamere viciſsim.

EIVSDEM.

Heſpere, purpureæ pulcherrima flãma Cytherês,
Heſpere, noſter amor, nigræ decus Heſpere noctis,
Qui tantum Lunæ, quantum tibi ſidera, cedis:
Salue, & paſtorem dum cantibus ipſe iocoſis
Vado ſalutatum, Lunæ uice ſuggere lumen.
Nanq; hodie naſcens, ſubito occidit. haud ego furta
Cogito: nec damna à me ſentiet vlla viator.
Verùm amo: tu in partẽ venias mei oportet amoris.

EIVSDEM.

Alpheus Piſam linquens, curréns q; per æquor,
Rectà Arethuſan adit, ſecum voluens oleaſtri
Fertilem

Fertilem aquam, & portans illi ſua munera, ſacrum
Puluerem, & innumeros flores, ramóſq; virentes.
Atque profunda petit, & ſubterlabitur imos
Fluctus, ac nunquam limphæ ſe limpha remiſcet.
Sed neque præteriens ſentitur ab æquore flumen.
Imperioſe puer, maleſuade & ſæue magiſter,
Nare doces etiam fluuios in amore Cupido.

BIONIS.

AVCEPS fortè puer dum venaretur opaca
In ſylua volucres, infelix omen, Amorem
Fronde ſuper buxi cernit pallente ſedentem.
Tunc ille exultans, magna velut alite viſa,
Continuò viſcum calamóſq; recolligit omnes,
Atque dolos varios volitanti tendit Amori.
Sed tandem incaſſum mœrens cecidiſſe laborem,
Ad vetulum, abiectis calamis, accedit arantem,
Vſus ea fuerat quo nuper in arte magiſtro:
Ordine rem narrat, ſuper arbore monſtrat Amorem.
Ille caput quaſſans, ridétq; & talibus infit:
Parce puer prædæ huic, procul hac abſiſte volucri.
Peſtiferum eſt animal, tu térq; quatérq; beatus,

Dum non hoc capies. verùm ſiquando viriles
Attigeris annos, qui nunc huc, nunc volat illuc,
Te fugitans, aderit tunc improuiſus, eúmq;
Impoſitis cernes pedibus tibi colla prementem.

EIVSDEM.

Alma mihi in ſomnis viſa eſt Cytherea tenellum
Deducens manibus formoſis nuper Amorem,
Fixum in terram oculos: his eſt affatáq; verbis:
Chare bubulce, precor, modulari carmina noſter
Ex te diſcat Amor. Nec plura locuta, receſsit.
Tunc paſtorali quicquid meditabar auena,
Demens, vt cupidum diſcēdi, illum omne docebam.
Panis obliqua vt ſit, ſit tibia recta Mineruæ,
Mercurij chelys inuentum: citharæ auctor Apollo.
Hæc illum doceo: ſed negligit ille magiſtrum.
Et contra ipſe ſuos ignes argutat, amores
Méq; deûm docet atque hominum, maternáq; furta.
Sic mihi ſunt oblita illum quæcunque docebam,
De tenero didici quodcunque docebat Amore.

EIVSDEM.

Aut ſæuum metuunt, aut amplexantur Amorem
Ex animo, illiúsq; legunt veſtigia Muſæ.
Nam quicunque canit, dulcis contemptor Amoris,
Illum

Illum auerſantur, dedignantúrq; docere.
Sin quis Amore animum perculſus, mollia cantet,
Vnc concurrunt ad eum tunc agmine cunctæ.
Omnibus hæc noſtro exemplo teſtata relinquam.
Nãq; ego ſi quẽ aliũ celebrare hominúmve deúmve
Aggrediar, tunc blæſa mihi fit lingua repentè,
Nec iam ſuccurrunt mihi verba aſſueta, modíq;:
De Lycida ſin quid nos rurſum & amore canamus,
Tunc vero è noſtro vox dulcis profluit ore.

E I V S D E M.

Siquid habent noſtrĩ pulchrũ & laudabile verſus,
Nempe vel hi ſoli parient mihi laudis abunde,
Quos mihi tempus ad hoc video dictaſſe Camœnã.
Sin minime placeant, quid me amplius hiſce fatigẽ?
Bina etenim humano generi ſi tempora vitæ
Iuppiter ipſe, aut ſors largita volubilis eſſet,
Hæc in deliciis peragenda, laboribus illa:
Quiſque fatigatus, pòſt carpere dulcia poſſet.
At quum vitæ vnum ſuperi dent tempus, & illud
Præcipuè ipſi homini ſpatijs breuioribus arctent,
Quem tandem miſeri volumus noſtro eſſe labori
Aerumníſq; modum? vel quo mentem vſque iuuabit
Artibus & lucris vexare ſubinde repertis,
Dum nos vrget opum nunquam ſatiata cupido?
Proh ſumus obliti, nos conditione creatos
Mortali, noſtræ'q; fugacia tempora vitæ.

IBO, & blanditias dilectæ Amaryllidi dicam,
Dum grex monte errat, cuſtos dum Tityrus illi.
Tityre, noſter amor, mihi quæſo paſce capellas,
Et potum paſtas age Tityre, & inter eundum
Occurſare capro (cornu ferit ille) caueto.
Cur Amarylli caput non, vt prius, exeris antro,
Deliciáſq; tuas vocitas me? haud ſum tibi gratus?
An nares ſimæ, porrectáq; acumine longo
Te barba offendit? tu me ad ſuſpendia coges.
En tibi mala decem fero decerpta vnde iubebas,
Cras quoque ſum totidem tibi chara puella daturus.
Tantùm reſpicias quem nunc premo corde dolorẽ.
Dij facerent forem apis, tua quò nunc antra ſubirem,
Per filices hederáſq; aditum quibus obſtruis omnẽ.
Nunc ſcio quid ſit Amor. ferus eſt deus: illæ leænæ
Lac bibit, & ſyluis matri eſt lactatus opacis:
Qui me nunc torret, qui ſæuit in oſsibus imis.
O blandi aſpectus, quæ tota es eburnea, virgo,
Brachia tende mihi paſtori, vt baſia iungam.
Baſia vana vt ſint, tamen ijs ſua iuncta voluptas.
Aut ego conſcindam tibi quas Amarylli corollas,
Inuoluens apio ſeruabam hederæq; corymbis.

Sed quid agam infelix? non vis audire precantem.
Illinc præcipitem me iam dabo nudus in altum,
Piſcator ſtat vbi thynnos ſpeculetur vt Olpis.
Seu moriar, ſeu non, at te hoc ſpectaſſe iuuabit.
Eſt mihi facta tui quum mentio nuper amoris,
Tunc ego telephilum memini crepitare nequiſſe,
Sed vanum in digitis ſubito exareſcere noſtris.
Ipſa quoque Agrœo cribro inclyta vaticinatrix,
Dum ſpicas legeret nuper, mihi vera locuta eſt:
Contemptum tibi me, cui te nil dulcius vna.
Alba capella tamen fœtus enixa gemellos
Vota tibi: quam fuſca popoſcit Erithacis à me:
Atque dabo: quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Verùm quid ſibi vult quòd nũc mihi dexter ocellus
Subſilit? an mihi ſe tandem dabit illa videndam?
Pinu ergo cantabo ſub hac, ſi fortè tueri
Me velit. haud etenim duro eſt adamante creata.
Virginis Hippomenes optans connubia charæ,
Mala tenens palmis currebat: tunc Atalanta
Vt vidit, periítq;, vt eam malus abſtulit error.
Quúmq; Pylum vates duxiſſet ab Othry Melampus
Armentum, gremio ſe reclinare Biantis
Non dedignata eſt mater pulchræ Alpheſibœæ.
Nonne & paſtorem Cytherea olim arſit Adonin,
Vſqueadeo vt, quamuis iamdudum lumine caſſum,
Admotum vſque ſuis optaret habere papillis.
Endymion felix, longum ſopitus in æuum,

Ipſe etiam Iaſion, nimium, me iudice, felix,
Gaudia qui nactus quæ non eſt ſcire profanis.
Sed mihi condoluit caput. haud curas Amarylli.
Deſino cantare: atque lupis hîc eſca iacebo.
Quod vice ſit dulcis, quo tingas guttura, mellis.

EIVSDEM.

Eunice riſit me ipſi oſcula ferre parantem:
Probríſq; inceſsés, procul hinc, procul, inquit, inepte.
Oſcula túne audes à me petiiſſe bubulcus?
Ruſtica nulla premo, ſed tantùm vrbana labella.
Os mihi ne pulchrum vel falſa in imagine tangas.
Qualis hic aſpectus? qualis tibi ſermo, iocíq;?
Quàm blandum loqueris? quo tingis verba lepore?
Quæ tibi mollities barbæ? quæ gratia crinis?
Labra lues etiam mala habet, tibíq; eſt manus atra.
Adde quòd eſt ſpurci tibi teter anhelitus oris.
Hinc fuge quamprimum, fuge, ne contaminer à te.
Hæc ait, ínq; ſuum illa ſinum ter deſpuit, atque
Perluſtrat totum talos me à vertice ad imos,
Torua tuens, tacitis & rodens murmura labris.
Deliciáſq; facit, pulchræ vt ſibi conſcia formæ.
Cum faſtu illudens. ſubitò mihi feruere ſanguis,
Præq; dolore graui facies mihi tota rubere,
Quale rubent tenero madefacta roſaria rore.
Illa abit his dictis. mihi cor nunc æſtuat ira,

Quòd mihi tam lepido meretrix conuitia fecit.
Paſtores verum mihi dicite. nónne ego pulcher?
Méne repente aliquod numen mutauit ab illo?
Nanque mihi ſolitus decor effloreſcere nuper,
Cingentis qui truncum hederæ. lanugine mentum
Sparſum erat, & coma ſe latè mea tempora circum
Diffundens, apij folijs velut æmula denſis.
Alba ſupercilium mihi frons circundabat atrum.
Ceſsiſſet glauco mihi lumine glauca Minerua.
Dulcius & dulci quàm preſſa coagula lacte
Os erat, atque fauis vox dulcior ore fluebat.
Carmina nec fuerit modulari doctior alter,
Fiſtula ſiue mihi, ſiue vtraque tibia detur.
Méq; puellæ omnes formoſum in montibus aiunt,
Oſcula dant omnes. hæc quæ eſt ex vrbe, recuſat:
Et quia ſum paſtor, refugit: quòd neſciat illa
Bacchum ipſum vmbroſis in vallibus eſſe bubulcũ:
Neſciat & Cyprin paſtoris amore flagraſſe,
Et Phrygiæ pauiſſe greges in montibus altis.
Hanc etiam videre deam ſuo Adonidi ſyluæ
Oſcula blanda diu, tandem & lamenta ferentem.
Quis, niſi paſtor, erat, charus puer ille Dianæ
Endymion? ad quem ex alto veniebat Olympo,
Illius amplexus armenta petebat & inter,
Latmion aſcendens montem. quin tu Rhea nonne
Paſtorem defles? quis neſcit te quoque ſumme
Iuppiter ob puerum paſtorem olim eſſe vagatum?

Oſcula

Oſcula at Eunice paſtoris reſpuit vna,
Diana & Cybele maior, maiórq; Cythere.
Tu quoque ne charis poſthac vel in vrbe vel agro
Oſcula Cypri dato, viduum ſed habeto cubile.

EIVSDEM.

Improba apis quondam furem confixit Amorem,
Dum rapit ille fauos aluearibus: articulósq;
Vndique perſtrinxit ſummos. dolet ille, manúmq;
Ore afflans, pede pulſat humum, læſúmq; parenti
Oſtendit digitum: & queritur quòd tantula viſu
Beſtia quum ſit apis, tantum det acumine vulnus.
Cui tum ſubridens mater, Quid? non apis & tu
Es ſimilis, qui tantillus das vulnera tanta?

Non dubito quin hoc idyllium ex Anacreontis elegantiſſima ode manauerit, quam & ab antiquo quodam auctore citatam reperi. Eſt autem ſic à nobis inter reliquas Latina facta.

Inter roſas Cupido
Apiculam iacentem
Non vidit, éſtq; punctus.
Manúmq; ſauciatus,
Mox eiulare cœpit.
Et curſitans volánsq;
Ad candidam Cytheren,
Heu óccidi, óccidi, inquit,

Vitámq;

Vitámq; , mater , efflo .
En me minuta ſerpens
Pennata vulnerauit .
Apem vocant coloni .
Tunc illa , Apis ſi acumei
Tantum facit dolorem ,
Quantum putas dolere
Quos tu feris Cupido ?

HENRICI STEPHANI
Ecloga I.

CHLORIS.

DAPHNIDI formoſo Chloris formoſa ſolebat
Ire comes, ſua quocunque is veſtigia ferret.
Par ætas, prima florebat vterque iuuenta:
Hæc paſcebat oues, paſcebat at ille capellas.
Siue ſuper viridi requieſcere cæſpite vellent,
Communémq; torum, cõmune & gramen habebãt.
Seu mallent patula captare ſub arbore frigus,
Tunc ſociare vmbram, tegmen ſociare iuuabat.
Si ſomnum hic caperet, ſomnum capiebat & illa.
Siue ſiti hic preſſus vicinum flumen adiret,
Tunc ſimulans ſitim & illa viam carpebat eandem.
Fortè leuans æſtum Daphnis feruente Leone,
Vt ſedata ſitis, mergit ſe flumine nudum.
At dum virgineo morem geſsiſſe pudori
Luctatur Chloris, retro veſtigia vertit,
Et paulum abſcedit. ſed paſcere lumina rurſus
Dum geſtit, relegítq; gradus, iterúmq; propinquans
Conniuet, multóq; aſpergitur ora rubore.
Quódq; videre iuuat, tamen vſque videre veretur,

Et quamuis ſine teſte, loco reuerentia magna eſt.
Luminum at illa nequit moderamen habere ſuorum.
Quum bene repreſsit, redeunt & ſponte feruntur:
Sed tamen ipſa etiam (dicas timuiſſe) vacillant.
Ergo ſuis tandem male prodita virgo miniſtris,
Os humerósq; videt: celabat cætera flumen,
Et quia celantur, Chloris meliora putabat.
Miratur ſimas nares, & turgida labra,
Et nigros crines, & fuſco membra colore,
Quæ mediis in agris, ſolis quoque tinxerat ardor.
Copiáq; vt ſi eſſet tum primum facta videndi,
Antè vel illa oculis veluti caruiſſet acutis,
Tunc ſtupefacta nouum formæ decus eſſe putauit.
Hoc faciebat Amor: quo ſimplex ſaucia pectus,
Cuius & ignotis fuerat transfixa ſagittis.
Ac veluti denſis decerpens pabula ſyluis
Cerua venenatum ſi ſenſit corpore telum,
Vulnificum putat eſſe locum quo ſaucia facta eſt,
Et procul inde fugit: venantum neſcia turbam
Se circunſtantem, quà præbet ſylua latebras:
Sic Chloris cæcos ictus mirata recedit,
Neſcia quàm longè iaculetur tela Cupido.
Quid faciat virgo, quid dicat ruſtica, quæ nec
Arma quibus petitur, nouit, nec, qui petit, hoſtem?
Paulatim chari curam deponit ouilis,
Non illi teneram venienti porrigit herbam,
Mollia languenti ſubſternit gramina nunquam.

Nec ſiqua eſt mater fœtus oblita, requirit.
Quin & oues potum non curat ducere paſtas,
Confectáſq; ſiti ſtabulis perſæpe coercet.
Iam non illa cibum potis eſt, non carpere ſomnum.
Neſcit ſtare loco: nunc ſola perambulat arua,
Nunc ſiſtit greſſus, viridíq; recumbit in herba:
Et ſomnum captat: ſurgit mox excita ſomno.
Nunc currit, lenta nunc fert veſtigia planta.
Nunquam tam varios œſtro percuſſa iuuenca,
Irrequieta dedit, nec tanto tempore, motus.
Quin & cernere erat ridentem & cernere flentem,
Quótq; dies horas, tot habebat & illa colores:
Sæpéq; prodebat magnum pallore timorem,
Prodebátq; ſuum perſæpe rubore pudorem.
Vult modò ſola loqui, modò teſtē Daphnin habere.
Sæpe exorſa loqui, medio in ſermone reſiſtit.
Hæc tamen occulto tandem dat verba ſuſurro.
QVIS me mutauit ſubitò Deus? illá ne Chloris,
Illa ego ſum cuſtos formoſi Chloris ouilis?
Cantibus aſsiduis Echo calamíſq; laceſſens?
Illa ego texendæ cui ceſsit palma corollæ?
Eſſe quid hoc dicam quod nec placet eſca palato,
Nec dulci poſſunt mea ſomno membra foueri?
Fallor, an iſta grauem portendunt omnia morbum?
An valeo, & morbi deludor imagine falſa?
Saucia ſum, nec ſigna tamen ſunt vulneris vlla.
Nec dubius dolor eſt, dubius locus ipſe doloris.
Quin

Quin & ſollicitis ſemper nunc fluctuo curis:
At mihi materies curarum eſt omnis adempta.
Non ferus in noſtrum lupus inſultauit ouile,
Non vllæ morbo nobis periêre capellæ,
Nec cornu retulit caper, è certamine fractum,
Non pulſat pater, aut dat verba minantia mater.
Sed neque ſcit noſter morbus ſeruare tenorem.
Ploro: ſed lacrymas riſus mox ſiccat obortus,
Aeſtuo, córq; tamen tremulum mihi palpitat intus,
Ardeo, quū tanta tamen vndique contegar vmbra.
O quoties mihi crura rubi ſentésq; notarunt:
At non hos gemitus tunc edere puncta ſolebam.
Improba apis quoties mihi fecit acumine vulnus:
Tunc tamen & Cereris fuit & mihi cura quietis.
Ergo quicquid id eſt quo nunc contacta receſsi,
Omnibus éſtq; rubis & api crudelius omni.
O quoties, medio quum ſol altiſsimus orbe
Ferueret, & terram radiis feciſſet hiulcam,
Tuta recumbebam patulæ ſub frondibus vlmi,
Fontibus aut gelidis recreabam corpus ab æſtu.
At nullæ hunc vlmi, nullæ defendere fagi
Ardorem poſſunt, nulli defendere fontes:
Sæpe etiam glacie paſsim quum prata rigerent,
Quúmq; gelu rapidas fluuiorū adſtringeret vndas,
Exuuias gregis ipſa mei munimen habebam.
Aut ſi fortè meum penetraſſent frigora vellus,
Larga foco poterant æſtatem reddere ligna.

At nunc corde tremente meo, nón vellera poſſunt,
Inqúe foco totæ hunc ſyluæ prohibere rigorem.
Ergo quodcunque hoc frigus, quicunque vel æſtus,
Omnes certè hyemes, omnes ſuperátq; calores.
Quid tum ſi pulcher Daphnis? flores quoq; pulchri:
Sunt etiam pulchræ violæ, pulchríq; hyacinthi.
At ſordent violæ nobis, ſordent hyacinthi.
An non pulchra roſa eſt? an non & lilia pulchra?
Nec roſa purpurea eſt, nec candida lilia curæ,
Sed Daphnin curo pulchris ex omnibus vnum.
Quid tum ſi argutum cantat tua fiſtula Daphni?
Et philomela ſonos tenui dat gutture dulces.
Cur ergo mihi ſola placet tua fiſtula Daphni?
Cum paruis iuuit colludere ſæpe capellis,
Deliciáſq; meas iuuit geſtare per agros
Agnos ſæpe ſinu. mea erant ſpectacula, capri
Belligeri. at nunc eſt Daphnis mea ſola voluptas.
Quinetiam quod lædit amo. nam Daphnidi nuper
Oſcula neſcio quot conceſſi inuita roganti.
Mollitie ſuperare roſas mihi viſa labella,
Et tunc melle mihi viſum eſt os dulcius omni:
At me apis ipſa tamen pupugerunt oſcula more,
Occultóſq; meis morſus fixere medullis.
Quod me læſit amo: cupióq; hæc oſcula rurſum.
Oſcula ſæpe prius dederam lactentibus hœdis,
Atque recens natis catulis dederam oſcula ſæpe.
Vnus erat (memini) reliquis laſciuior hœdus,
Cuius

Cuius in amplexu olim luxuriare ſolebam :
Hæſit in amplexu non vllus aculeus iſto ;
Atq; hæc cor nunquam pupugerunt oſcula noſtrũ.
At nihil iſta tamen, quæ ſunt innoxia, curo :
Quæ nocuêre, placent, dulcedine tangor eorum :
Et mihi longa mora eſt quæ Daphnidis oſcula differt.
Præterea ardorem ſenſi. an fuit ignis in illis?
Et rubuit facies. rubuit, ni fallor, ab igne.
Sed gelido ſenſi cor ſubſiluiſſe tremore :
Ergo igni & glacie permixta hæc oſcula credo.
Quin & me tota turbatam ſentio mente,
Illa meis ex quo coniuncta labella labellis.
Nanque oblita vagor pecoris, matríſq;, patríſq;.
Ante meas & oues & capras Daphnidis omnes,
Nomine quanque ſuo clamans, reuocare ſolebam.
Nunc oblita ouium mihi nomina cuncta mearum :
Inqúe animo manſit mihi Daphnidis vna Simætha,
Quam longè ante alias omnes quòd amaret, amabã.
Verùm cur voluit ſolito formoſior eſſe?
Nam quod pulcher ita eſt, hoc debet fluminis vndis.
Peſsimæ aquæ ſolum facitis cur Daphnida pulchrũ?
Cur hoc dignari Chlorin renuiſtis honore?
O vtinam ſubitò fieri tua fiſtula poſſem,
Nec calamos inflare meos te Daphni pigeret.
O vtinam poſſem fieri tua Daphni capella :
Si tua Daphni capella forem, paſtor meus eſſes.
Sed quid ago? interea procul à me grex meus errat.

Sic

Si ſciretis oues, quantum nunc ægra pericli
Veſtra adeat cuſtos, vobis deſerta manerent
Paſcua, & illam nunc circunſtaretis euntem.
Scire velim an reliquas idem tentare puellas
Morbus ſit ſolitus, quæ ſit medicina reperta.
Sed matrem accedam: natæ miſerebitur illa;
Si modo non ſilices ferrúmq; in pectore geſtat.
Scire volet morbum: quid reſpondebo roganti?
Langueo morbo acri, dicam, chariſsima mater,
Sed morbi ignoro formam, noménq;, locúmq;.
Quæret & an capitis patiar laterísve dolorem,
An renum, an ſtomachi. hoc etiam me ſcire negabo.
Quid ſi ſcitetur noſtri primordia morbi,
Quod dabo reſponſum? verum narrare nequib o.
At ſcelus eſt natam mendacia dicere matri.
Stans ergo coram, veniámq; precata, fatebor
Quæ morbi fuerit (ſi non ego fallor) origo.
Sed quo illam aſpiciã vultu? quo hæc ore profabor?
Aut quibus accedam pedibus? pudor auſa retractat.
Hoc tamen audendum, aut ſpes abijcienda ſalutis.
Ibo, & ſermonem verbis exordiar iſtis;
Ex quo ſe Daphnis. Verùm ſi nomino Daphnin,
Confeſtim illa, mihi quid ſit cum Daphnide, quæret.
Illam finge tamen non quærere, nonne rubore
Neſcioquam ſubito culpam teſtata videbor?
Non ibo, & nunquam deponam hæc auribus vllis,
Sola ſed eſſe mei volo conſcia rura doloris.

O Chlori

O Chlori ô Chlori, infelici ſorte puella,
Incerto morbo, certa ſed morte peribis.
Et vos ô nymphæ, mea maxima numina, nymphæ,
Nil curatis opem perituræ ferre puellæ.
Si vos nulla mei nymphæ miſeratio tangit,
At pecoris ſaltem tangat miſeratio noſtri,
Pabula quod veſtris dum carpit proxima templis,
A vobis poſitas metuit tranſcendere metas.
Nunc ſua ei cuſtos, veſtrum ſit crimen, adempta:
A vobis repetet querulis balatibus illam,
Obſtrepet & veſtriſq; iocis veſtriſq; choreis.
Iámq; furore vagum, quocunque aget impetus, ibit,
Veſtráq; non ipſum compeſcere clauſtra valebunt.
Cui paſcendum illud moritura relinquere poſsim?
Quæ tantum vel amabit oues, vel amabitur illis?
Quæ've aures tenero mulcebit carmine veſtras,
Aut cupiet veſtrum ſertis decorare ſacellum?
Quæ puro de lacte feret libamina vobis,
Talia ſi gratæ redduntur præmia menti?
Vos ergo nymphæ miſeram ſeruate puellam,
Languet vt accepto quæ vulnere, nec tamen vllum
Accepit vulnus, vel ſi ſpes nulla ſalutis,
Extrema ſaltem per vos ſim certior hora,
Vulneribus moriar veris, moriárne ego falſis.
SIC virgo: quæ, cuius erat certiſsima præda,
Haud de ipſo ſimplex vel nomine norat Amorem.

EIVS-

EIVSDEM ECLOga II. Riuales.

AMYNTAS, MENALCAS.

A. Hvc Galatea veni: valeat tuus iſte Menalcas.
Munera cúmq; nouo noua gaudia habebis amante.
M. Hîc Galatea mane, nec ſpe te lactet Amyntas.
Nota fides potior ſortis fallacibus auris.
A. Diuitis eſt ſeruare fidem, qui vúltq; potéſtq;.
Quid Galatea tibi fuerit cum paupere certi?
M. At ſolet obſequium pauper præſtare fidémq;.
Quid cum diuite ſit gratum Galatea ſuperbo?
A. Munera cui deſunt, ſit ſupplex pauper amator.
Nec niſi blanditijs remanet ditata puella.
M. Munera cui ſunt multa, ſolet dare munera multis:
Et vagus errat amor: tandem eſt deſerta puella.
A. An tua dicetur, cui pignora nulla dediſti,
Quæque tui nullum m onumentum ſeruat amoris?
M. Non mea dicetur, dederim cui pignora diuos?
An teſtes impunè illos violarit amoris?
A. At nullus diuûm periuria curat amantum:
Hoc ergo crimen non vlla piacula poſcit.
M. Imò iſtud ſoli periuri rentur amantes:
Nanque graues repetũt hoc dij pro crimine pœnas.
A. Digna eſt formoſo formoſa puella marito.
Si formam ſpectet, uel te quoque iudice, vincam.

M. Imò

M. Imò digna probo proba ſit Galatea marito.
Si mores ſpectet, vel te quoque iudice vincam:
A. Te probitate æquo: mihi forma cedere debes.
Quorſum igitur mores iactas ventoſe Menalca?
M. Par tibi ſum forma, mihi tu probitate ſecundus.
Quorſum igitur forma mihi te præponis Amynta?
A. Corpore tantò ego te procerior exto Menalca,
Quantum humiles extat ſalices ſuper ardua pinus.
M. Paruus ego, & parua eſt Galatea. at ſemper Amynta
Aequales commune iugum ſubiêre iuuenci.
A. Tu niger es: contrà candore ego lilia vinco,
Et niuei folium ſupero candore liguſtri.
M. Sum niger: & nigræ violæ ſunt atque hyacinthi,
Primos in ſertis tamen ambo merentur honores.
A. Molle mihi mentum denſiſsima barba coronat.
Tu verò imberbis, tanquam ſis fœmina, non vir.
M. Imberbis: quid tum? deus eſt imberbis Apollo,
Barbatis tamen eſt Satyris præſtantior ille.
A. Oſcula ſed niueo magis ori impreſſa placebunt.
Haud nigra cum roſeis iungenda labella labellis.
M. Ori imò læui magis oſcula fixa iuuabunt.
Nam barba amplexus ſemper terit aſpera molles.
A. Huic Galatea dedit (ſi neſcis) vbera capra.
At pulchræ pulchrum me lactauere papillæ.
M. Iuppiter & mammas ſuxit, Galatea, capellæ.
Ergo mihi eſt eadem nutrix ſummóq; Tonanti.
A. De Ioue mentita eſt in vanum fabula riſum,

Sed tu nutricis retines inſignia capræ.
M.Quis ſcit an ipſe patris ſerues inſignia? nam quid
Barbato à capro differt barbatus Amyntas?
A. At verò haud gregis eſt paſtor maleolētis Amyntas.
Ipſe grege à proprio contagia fœtida ducis.
M.At non ſemicaper capri Pan ſpirat odorem:
A grege quî traheret quiſquam contagia paſtor?
A. Non mauis vxor dici Galatea bubulci:
Quàm vili hircorum paſtori nupta manere?
M.Non mauis pingues hircos Galatea videre,
Quam vaccas, quæ nunc vix hærent oſsibus, iſtas?
A. Hircos hic domini paſcit, pecus ipſe paternum.
Paſtor ſemper ero: hic paucis fortaſſe diebus.
M.Verùm plus dominus mihi fidit, quàm pater iſti.
Bísq; die hic numerat vaccas, nũquam ille capellas.
A. Sed quid ſi expellat dominus te fortè Menalca?
De miſera quid tunc fiet peruerſe puella?
M.Sed quid amica prior tua ſi ſit ab vrbe reuerſa?
Improbe quid faciet tibi tunc contempta puella?
HAEC illi alterna iactant conuicia voce.
Iámq; rubeſcebant pugnæ prænuntia magnæ
Lumina, & ardenti iam dens frendebat vtrique:
Iam ſaxis armati ambo, ſudibúsq; bifurcis:
Ecce repente lupus vicino erumpit ab antro,
Et properat, ventrem cupiens ſedare latrantem.
Ipſa puella metu petit exanimata latebras:
Hac illac fugit omne pecus: trepidare magiſtri,
Hortaríq; canes, ita rixa timore dirempta eſt.

HENRICI STEPHANI ODA,

De laudibus vitæ ruſticæ.

Ad amicum quem ad ruſticandum inuitat.

BEATVS ille, non clientium frequens
Cui turba circundat latus,
Non iura qui dat, aut volutat litium
Nodos inextricabiles.
Non ille vallos atque propugnacula
Qui cogitat noɛte & die.
Non ille quiſquis mercium grauat fretum
Magno Indicarum pondere.
Non quem potentis aura ſublimem leuat
Et aula adorat principis.
Sed ſiquem agelli magna parui commoda,
Diuésq; paupertas iuuat:
Et turbulentis vrbium teɛtis, caſæ
Tranquilla præfert ocia.
Amiſſa poſſunt aurei quæ ſemina
Mundo referre ſeculi.
Non diuiduntur æqua lance cæteræ
Cunɛtis opes mortalibus.
Fortuna cæca ſiue ludit arbitra,
Ius enſe ſiue dicitur.
At inuidere neſcium rus, diuites
Expandit omnibus ſinus.

Et ceu benignus hoſpes, occultum nihil,
Habet nihil non peruium.
Suúmq; non dimittit hoſpitem prius,
Quàm gaudiis expleuerit,
Quorum ſuperba Cyrus eſt in regia,
Eſt Crœſus, eſt Gyges, inops.
Illic lacunar aureum refulgeat,
Pedéſq; calcent marmora.
Illic bibatur murrhinis in poculis,
Cælóve priſci Mentoris.
Illic columnæ vertices aſtris ferant,
Fragmenta rupis exteræ,
Illic Sabææ gentis & ſint Indicæ,
Maríſq; rubri munera.
Sed non & illic ſit virenti gramine
Pictúſq; campus floribus.
Non ventilata leniter fauonio,
Quæ dulce pinus ſibilet.
Non ſit ſuſurrus fontis illic limpidi,
Soporis illex optimus.
Non vlmus illic aut marita populus
Amplexa dulcem coniugem.
Nec tale nardus ſpiret intra regiam,
Afflantur è terra nouo
Quales odores vere, quum tepentibus
Eſt tacta ſolis ignibus.
Quis vere primo ruſticas opes velit

Mutare gaza Perſica?
Quis tunc per agros frontis atra nubila
Repentè non excuſſerit?
Aut quis reuertens vel patris vel coniugis
A luctuoſo funere,
Ipſisve pratis, floribus vel arborum
Illacrymet ridentibus?
Aut eiulante voce blandis alitum
Tunc obſtrepat concentibus?
Quid quum tenellum ludit exultim pecus
Laſciuiens in paſcuis?
Stridente quid quum rura paſsim florida
Circumſonant examine?
Ac ne voluptas vergat in faſtidium,
Nullas nouata per vices:
Vultus quot annus induit, tot gaudij
Viciſsitudines agris.
Aduenit æſtas? venit & dulciſsimæ
Cicada vocis artifex.
Iam flaua voti ruſticum damnat Ceres,
Pactam coronam poſtulans.
Iam tum rubeſcens aſpicit pomarium,
Suáſq; iam ſpes computat.
Quin & frequente liuidum ſub pampino
Rimatur ille Liberum.
At quum furentis regnat aſtrum Sirij,
Quæ gratior languentibus

Eſt

Eſt aura, quàm quæ vérberat cèlſiſsimum
  Fagi comantis verticem?
Recedit æſtas: cedit Autumno locum,
  Nouis locúmq; gaudiis:
Hic & colonis eſt laborum terminus,
  Hic eſt laborum præmium.
Hic eſt ſacratus Libero ſolus patri:
  Hic & iocis aptiſsimus:
Hic & proteruæ natus eſt licentiæ:
  Hic natus eſt amoribus:
Mixtúsq; ſexus tum iuuentæ ruſticæ
  Feſtis choreis perſtrepit.
Tunc cœlo ouans it clamor, aut vindemia
  Dum carpitur dè palmite,
Vicina dum vectatur aut in torcula,
  Illis onus gratiſsimum:
Expreſſa vel iam gutta forti brachio
  Quum dulce ridet in lacu:
Vel muſta condunt amphoris, triceſimum
  Viſura forſan conſulem.
O quæ nouo tum quiſque iam calens deo,
  Præbet tibi ſpectacula!
Non illa linguis eloqui poſsim decem,
  Vulgare nec fas omnibus.
Tunc ruſticanum ſumit agmen cornua,
  Tunc nulla gens ferocior.
Amórq; raptus tunc agri dulcedinè,

Hic

Hîc caſtra metatur ſua :
Erepta luget Myrtale tunc Lampidi :
Nec non manus pro Phyllide
Dorcon Lamónq; conſerunt : ille acrior,
At hic toris valentior :
Dum prœliatur vna pars, pars altera
Longum mero frangit diem :
At poma, Mopſus, dum leguntur arbore,
Decem recondit in ſinu ;
Quæ pòſt amicæ grata portat munera,
Decem reportans baſia :
Quicunque natus ditiore villico,
Maiora dona præparat :
Sinúmq; lactis mittit aut muſti ſuæ
Superbior puellulæ.
Iam verba tantùm de futuris nuptijs.
Autumnus eſt ſponſalibus ;
Hyems at illis, eſt dicata nuptijs.
Solis hyems optabilis :
Vigent choreæ rurſus & molles ſoni.
Lætúmq; hymen tunc omnia,
Ipsíq; colles, antra, ſyluæ perſonant.
Motu nec hîc Ionico,
Geſtúve turpi te puella prouocat,
Nouas crepans laſciuias ;
Sed quas metallo ſeculum fuluo nitens
Sub rege Saturno dabat,

Mundo priuſquam fraus pedem dirum intulit.
O læua quàm mens eſt tibi,
Quem ſtultus vrbis his amor priuat iocis.
Seu ſplendidam menſam petis,
Quum canet omnis plurima campus niue,
Obeſus eſt turdus tibi.,
Suis lepúsq; proditus veſtigiis,
Venatio promptiſsima:
Sermone longas ſiue iucundiſsimo
Noctes iuuabit fallere,
Tunc ruſticorum plurimus grex confluet
Annalium doctiſsimus.
Seu tu Menalcam, ſeu roges Palæmonem,
Quot virgines Pan arſerit,
Extemplò multas aggerabunt fabulas
Antiquitatis vltimæ:
Syrinx voluptas ruris & ſolatium,
Fuit puella ruſtica,
Miranda vocis atque formæ dotibus.
Cuius canoros ad modos
Saltare tota cerneres ouilia,
Saltare vicinum nemus.
Accurrit ipſe capripes Pan: nec mora,
Amoris ardet impotens.
Illámq; tentat, vrget, magna pollicens,
Et omnibus graſſans viis.
At vſque virgo ludibunda pernegat,

Et

Et vnde, dixit, aduenit
Biformis iſte, qui nec eſt vir, nec caper,
Vtrunque mentiens genus?
His illa dictis illico carpit fugam.
Sed perſequente numine,
Anhela ſeſe, corde toto palpitans,
Arundinetis occulit.
Tandem ſub vluis cogitur paluſtribus
Virgo latebras quærere.
At ſemicapro bile turgeſcit deo
Iecur: nec abſcedit prius,
Quàm nil merentis abſcidit cannas loci.
Lenimen ille ſed ſuo
Quærens amori ſæuienti perditè,
Canora quæ virgo fuit,
Illam canoras eſſe vult arundines:
Tamen manente nomine.
Quas cera iungit, impari ſed ordine,
Amoris index imparis.
Poſt hos & Echûs texet alter fabulam.
Citabit & teſtes auos.
Forſánq; patris Liberi miracula
Sit qui tibi recenſeat.
Nec deerit ex hoc ſiderum interpres grege,
Magiſter vſus cui fuit,
Peræ rotundi qui tibi angulo ſuæ
Depingat ambitum poli.

Quin & ſerena præuidebit tempora,
Et præuidebit nubila,
Præſagiorum doctus augur gracculi,
Cornicis atque garrulæ.
Sermone quòd ſi longiore, manſerit
Vox ſtrangulata faucibus,
Non ſtultus illos rhetorum ritu, pudor
Vires vetat reſumere,
Arente ſiccant cantharos dum gutture,
Omnes propinantes tibi.
Nec ipſe vanis obligatus legibus,
Audire plura cogeris,
Quàm ſomnus, aut quàm nata tunc occaſio,
Tempúsve ſuadet, aut locus.
Dum narrat ille, forſan hic ſuperuenit,
Recens daturus gaudium
Aut de gemello buculæ fœtu tibi,
Præda refertis aut plagis.
Suam nec actor fert moleſte fabulam
In craſtinum quòd proroget.
Virgáne tangit te ſoporifer deus,
Et feſſa languent lumina?
Non ducit agmen Comus huc ſuum, aſſecla
Effœminati compiti.
Hîc nocte ſera non iuuentus ebria
Fores amicæ percutit,
Non hîc proteruæ fulgurant pompæ manus
Funalibus

Funalibus denſiſsimis.
Non turba debacchatur hîc amantium,
Libidinoſa cantica.
Nec mane quum ſol extulit vixdum iubar,
Equíve calces ferreæ,
Fragórve poſsit hîc repentinus rotæ
Turbare grata ſomnia:
Nec officina ſit propinqua feruidis
Raucum boans incudibus.
Sed nocte ſera ſit Menalcæ fiſtula,
Suam canens qua Chloridem,
Somnos amœno condiat tuos ſono.
Sed mane ſummo acredula,
Sorórve Prognes increpet ſomnos pigros
Molliſsimis argutiis.
Cubile linquis? ecce nox forſan tibi
Nouos parauerit iocos.
Aut ſi parumper ipſe perſonam viri
Seuerioris induis,
Forúmq; rurſus vrbis & ſubſellia
Tuo recurſant pectori,
Forum tibi rus & dabit ſubſellia,
Non purpurati iudicis
Faſtu & ſuperbis vocibus frementia:
Vbi ſilent leges metu,
Examiníq; iuris, aurum diuitum
Ipſiſq; dijs præponderat,

Vbi catenis verſipellis formulæ
Obſtricta mœret æquitas.
Sed rus vetuſta congregat ſub ilice
Sanctos vel vlmo iudices.
Arnon, Agelli magna pars, inquit, mei,
Rapacitate fluminis,
Arui Myronis huius auxit terminos.
Cur ditet hunc, me pauperet?
His orat Arnon, his perorat, his ſuos
Exorat Arnon iudices.
Hìc ſubruendæ veritati ſimplici
Nullæ admouentur machinæ.
Nec peierato lucra quærunt numine.
Sed hunc diſertum iudicant,
Ad poſtulandum quiſquis infantiſsimus
Dictat niſi quod æquitas.
Solis in agris grande ſit piaculum
Hanc tranſilire lineam.
Hic vnus illis finis eloquentiæ.
Iure ergo priſcis ſeculis,
Aſtræa cunctis exulans ab vrbibus,
Hìc hoſpitari credita,
Legéſq; genti non rebelli condere.
O ſola vita ruſtica
Felicitatis proma conda: quis locus
Tentat magis cœleſtia?
Quid dicam, & ipſa quando Panis fiſtula
Horrore

Horrore percitam ſacro
Permulcet omnem qualibet viciniam?
Quid quum Cytheres cernitur
Mentitus alitem puer, virentium
Petens cacumen arborum?
Eſt Faunus illic, turba cui comes ſua,
Syluanus eſt illic pater,
Illic Diana: Naias illic, & Dryas:
Illic Oreadum chorus.
Ergo, relictis vrbibus, tot numina
Solis amica cur agris?
At Marte gaudes forſan, & certaminum
Spectator es libentius.
Quinam laniſtæ plus voluptatis ferant,
Olente quàm pro coniuge
Duris mariti dimicantes cornibus?
Suſpenſa cernit interim
Vtri, coronæ deferat Mauors decus.
Pòſt in triumphum maximum
Spectante toto capta ducitur grege,
Victore formidabili
Virtute prædam venditante bellica
Partámq; multo ſanguine.
Adhuc moraris? grata tam ſpectacula
In rura te nondum vocant?
Quid ſi, obſtinatas te trahente nunc moras,
Anhela febris ingruat,

Annon repente rura, villam, villicos
  Clamabis, atque geſtiés
Illuc volare, vt conualeſcas aeris
  Benignioris hauſtibus?
At æger vti commodis quibus voles,
  Sed forſitan fruſtra voles:
Non æger, ægrotare ſed tamen timens,
  Fruare iam nunc, ſi ſapis.

EIVSDEM IDYLLION,
in via ſcriptum, itidem in laudem
vitæ ruſticæ.

O FORTVNATI iuuenes, gens æmula cœlo,
Arua quibus primas tribuerunt luminis auras,
Arua quibus ſedes placidas ſtabileſq; dedere,
Seráq; component quorum feliciter oſſa.
Corpora ſunt vobis longo durata labore,
Et durata gelu, ſæuíq; caloribus aſtri,
Atque rudimentis Bellonæ aſſueta ſeueris.
Vobis eſt nardus, Syriúmq; eſt ſudor oliuum,
Iucundis vultus irrorans vndique guttis.

Gaza

Gaza ingens laribus veſtris eſt pauca ſupellex
Fictilis, atque oſtrum non expectatis ab orbe
Longinquo, aut Phaſis conuiuia veſtra moratur.
Inuidioſa procul ſunt limina, quæ'que ſuperbis
Excubat in tectis, & rodit cura potentes.
Non dulcis vobis abrumpunt gaudia ſomni
Inſidiæ ſuſpectæ, atque anxia corda fatigant.
Pocula non iſtic metuuntur dira nouercæ,
Nec menſis quæcunque dapes celebrantur in iſtis,
Prægustantis egent: non eſt intincta veneno
Cultri acies, & non exhalat toxica lampas.
Non ebur in domibus veſtris aurúmq; renidens
Sollicitat fures, prædámq; inuitat ad amplam.
Fons, maris eſt inſtar vobis: piſtríxq; marina,
Gobius: haúdq; caſis potiora palatia veſtris.
Non vos ſuſpenſos Martis tenet exitus anceps.
Sit Gallus victor, vel (ſi fas) victor Iberus,
Idem eſt Henricus vobis, eſt Carolus idem.
Non faciunt maciem, nec vos palleſcere cogunt
Socratici ſenſus. nec mentem quæſtio vana
Sollicitat, quænam vagitus conſcia primi
Aut vobis fuerint, aut veſtris ſidera natis.
Non iſtic vxor faciem quæ mutet in horas,
Non vxor, ſua quam ſimulent tectoria pulchram,
Stétq; ſuo coram ceu perſonata marito.
Verùm vxor frugi, quæ vultum monſtrat apertè,
Naturæ non artis opus, Libycæque farinæ:

Et

Pura vt vultum, ſic pura & candida mores.
Quem coluit quondam florentem ætate maritum,
Nunc colit & canum. in partem venit illa laboris,
In partem veniunt nati: & genitoris ab ore
Pendent, per varios caſus decurſa iuuentæ
Tempora narrantis, illis documenta futura.
Enumerat quoties vicini fontis in vndis
Naufragium eſt paſſus. quin & fera bella recenſet,
Quæ iuuenis paſtor riualibus intulit audax,
Egregius luƈta, & pugnis ac calcibus acer.
Iámq; cicatrices pugnorum monſtrat, & ipſa
Oſtendit quo caſtra loco. meminiſſéq; gaudet
Ereptas è dente lupi perſæpe bidentes.
Tandem inter natorum & coniugis oſcula fidæ
Deponit felicem animam. mandata ſed antè
Dans ſua, quæ paucis concluſerit omnia verbis.
Lætus obit, libérq; metu, bona nulla relinquens,
Diſsidij ne ſint natis ea ſemina quondam.
O gens antiqui tam paruæ tempore noſtro
Relliquiæ generis, tandem aurea poſſe renaſci
Ex te ſecla puto, dum vrbis contagia vites.

ALIVD

ALIVD EIVSDEM IDYLL
in eandem ſententiam, & ipſum
in via ſcriptum.

FELICES nimium, teneræ ſaluete pu
Saluete ô ſimplex & fraudum neſcia turb
Florentes, quibus eſt latè regnare per ag
Quarum non curis interpellata voluptas,
Et quarum nunquam tentant mala gaudia p
Felices nimium teneræ ſaluete puellæ.
Vos non ambitiô exercet, non cæca cupido:
Arua aurum vobis, Indi floréſq; lapilli.
Eſt bene cultus ager, veſtrorum meta laborum,
Et vobis ſumma eſt votorum, fertilis annus.
Felices nimium, teneræ ſaluete puellæ.
O gregis vnum me feciſſent numina veſtri.
Serta ego vobiſcum legerem, legerémq; corollas,
Vobiſcum canerem, vobiſcum fonte lauarem,
Vobiſcum in viridi requieſcere gramine poſſem.
At nunc nulla quies, ſpes eſt mihi nulla quietis,
Sed procul à patria miſerè vagus abſtrahor ora,
Dum mea vota ſuos nequeunt contingere portus.
Inuideo vobis hæc florida prata puellæ,
Inuideo vobis hæc gramina læta puellæ.
Fallor, an eſt verſus noſtri præpoſterus ordo?
Inuideo has vobis ô florida prata puellas,
Inuideo has vobis ô gramina læta puellas.

dum veſtri captus dulcedine cantus,
ot, ecce comes celeri præcurrere curſu
iámq; cadens geminat ſol aureus vmbras.
um nimiúmq;, valete puellæ.

NVS QVERELA
De forma amiſſa.

EODEM AVCTORE.

O QVÀM nil longo peius mortalibus
 æuo,
 Pro quo onerant votis nocte diéque
 deos.
O quàm tuta breuis mora vitæ, mor-
 te repentè
 Fortunæ ſæuos præueniente iocos.
Ipſa ego ſum teſtis: potui vixiſſe beata,
 Atque beata mori, ſi citò rapta forem.
Nunc ſum ludibrium tardæ ſeruata ſenectæ,
 Tot cumulata malis, quot ſpoliata bonis.
Inuida túne tuis donis natura fuiſti?
 Quod iuueni dederas, cur rapis omne ſeni?
Sed quæ damna querar? quæ prima vel vltima ponã?
 Ante oculos veniunt tantáq; tótq; meos.

Vóſne

Vóſne oculi primos, mea quondam gloria, flebo?
  Primas purpureæ uos ego flebo genæ?
An potius, flaui, quondam mea cura, capilli,
  Vos eritis uocis prima querela meæ?
Verùm ô tu mea vox alienáne damna quereris?
  Ad gemitus tua ſors non tibi viſa ſatis?
O quas non aures olim mulcere ſolebas:
  Heu, ſonus, ô mea vox, ille canorus vbi eſt?
Tu quondã, memini, ô vox blæſam imitata placebas,
  Nunc blæſam & balbam dura ſenecta facit.
Quæ quondam molles referebas tinnula verſus,
  Nil niſi nunc raucos das gemebunda ſonos.
Sed quum nulla mihi nunc candida fulgeat hora,
  Temporibus ſonus eſt aptior iſte meis.
Iámq; valete ioci, blandíq; faceſsite riſus,
  Atque lepos, formam turba ſecuta meam.
Nunc comites rugis curæ, comitésq; dolores:
  Nunc ſemper lacrymis ora rigata nouis.
Quid facerem, in noſtram ſi iurauere ruinam
  Cœleſtum nobis inuida tota cohors?
Ergo vides canum nunc tandem Phœbe capillum,
  Inuide, qui fuerat concolor antè tibi.
Purpureas Aurora genas quòd ferre nequiſti,
  Fœdus an idcirco has tam citò pallor habet?
Et collata tuis mea quòd ſint lumina, Pallas,
  An ſuus eſt illis tam citò raptus honos?
Ergo triumphatam cœlo me Phœbe videbis,

Cui quondam tellus tota triumphus erat.
Diſcite mortales certis includere vota
Finibus, & faciant immoderata metum.
Nam mea nunc eſſent mediocria damna, fuiſſet
Formæ olim noſtræ ſi mediocre decus.
Sed velut in ſummo natura locauerat illam,
Sic niſi ſumma poteſt nulla ruina ſequi.
Hæc Dodona mihi ſi olim ventura referret,
Atque hæc Chaoniæ ſi loquerentur aues.
Et mihi ſi Delphis daret hæc oracula Phœbus:
Eſſem teſtibus his auſa negare fidem.
At non ille deus bibulæ numerator arenæ,
In noſtris numerum poſsit inire malis.
Nanque aliqua inſidiis potiens velut vrbe tyrannus,
In firma ſolium collocat arce ſuum:
Hinc veterem dominum dominiq; inſignia perdit,
Et quocunque eius ſunt monumenta loco:
Sic noſtram extrudens inimica ſenecta iuuentam,
In vultu, noſtri corporis arce, ſedet.
Signa etiam vt formæ iuuenilis nulla ſuperſint,
Totam intra rugas obruit illa ſuas.
Quótq; dedit rugas, dedit & tot protinus hoſtes.
Sed nec tam ſum alijs, quàm grauis ipſa mihi.
Quæ ſi ſentirent tigres, ſæuíq; leones,
Mollirent animos tot mala noſtra feros.
Regia cui fuerit Pariis ſua nixa columnis,
Durum ſi fœdo carcere clauſus erit.

Durum

Durum eſt, mille boues cui iugera nuper arabant,
Pòſt mendicato pellere pane famen.
Dura Syracuſio fuit & fortuna tyranno,
Dum pretium à pueris vile magiſter habet.
Dura quidẽ. ſed pars quota ſunt hæc cuncta malorũ,
In me diuûm odijs quæ ſine fine ruunt?
Carcere nam clauſis, iterum ſua poſſe videre,
Atque iterum ſpes eſt poſſe videre ſuos.
Grátáq; mendico quædam ſperabitur hora,
Amiſsis plures qua reparabit opes.
Nec fuit opprobrio paupertas illa tyranno,
Externa ignotus dum colit ille loca.
At rebus quæ ſpes noſtris affulſerit vnquam?
An recoqui Peliæ nunc ego more velim?
An ſtulta auxilium ſperem à cœleſtibus vllum?
Non ijdem dederint vulnus, opémq; ferant?
An procul externis viuam regionibus exul?
Non potero à rugis exul abeſſe meis.
Quæcunque ergo queunt mortales damna ſubire,
Ludicra præ noſtris illa putanda malis.
O vtinam, ridet noſtras dea ſi qua querelas,
Facta anus humana conditione foret.
Nam licet Armeniæ lac tigridis illa bibiſſet,
Ad noſtras poſſet mollior eſſe preces.
Ecquid enim humanas percellat triſtius aures,
Quàm vox hæc populi totius ore frequens?
Cernite cernite anum, rugas & cernite aniles.

Forma

Forma olim hæc fuerat facta ſuperba ſua.
Cui non obijcere eſt ſatius ſua pectora ferro,
Accipere hos miſera quàm ſemel aure ſonos?
Hos tamen accipimus: nec ſe defendere lingua,
Horum quòd mihi ſim conſcia, noſtra poteſt.
Proh, ſi tanta hominum vobis eſt cura, quid ergo
Illis, ô ſuperi, plus fera iuris habet?
Exuitur triſtis cur à ſerpente ſenecta,
Inque annos iuuenes, quum libet, ille redit?
Veſter amor nobis horam non prorogat vllam,
Vllum nec reuocat noſtra iuuenta gradum?
Aut ſi currentes homini non ſiſtitis annos,
Voluuntúrq; rotæ tempora noſtra modo,
O dii, cur metam ſimul attigit ille ſenectæ,
Tunc etiam charus deſinit eſſe ſuis?
Sed minus eſt damnoſa viris tamen ipſa ſenectus,
Et magis immiti nos premit illa iugo.
Nam perſæpe viro prudentia maior ab annis
Quæritur, éſtq; magis quàm fuit antè, ſagax.
Nobis perpetuum leuitas eſt crimen: & illud
Effugere in nobis nulla ſenecta poteſt.
Ergo ſuperuacua hæc ſi nobis portio vitæ,
Cur formæ infelix ipſa ſuperſtes ero?
Prouida dat cunctis natura animantibus arma:
Et ſua fœmineum poſsidet arma genus,
Vnguláq; vt defendit equum, atque vt cornua taurũ,
Armata eſt forma fœmina pulchra ſua,

Sæpe aciem ferri mulier formoſa retundit,
Atqûe intentatas reprimit illa manus.
Quòd ſi formam, vnũ quam nos munimen habemus,
Prædatur tempus, quid faciemus anus?
E heu præſidio miſeræ ſpoliabimur omni,
Vitáq; erit cunctis peruia noſtra malis.
Pace tua dicam cœlum, à te gratia talis
Pro meritis noſtris non referenda fuit:
A rigido hæc poſſet Saturno iniuria ferri,
Qui nullo ſenſit tempore quid ſit amor.
Tu verò ô per quem paucis licet eſſe pudicis,
Iuppiter, erga te nil benefacta valent?
Si benefacta valent, à nobis ſi tibi quicquam
Dulce fuit, noſtrum quin miſerare genus?
Si noſtrum miſerare genus, cur præda ſenectæ,
Prædáq; rugarum Iuppiter ergo ſumus?
Heu quæ in formoſas eſt tanta licentia rugis,
Humana arbitrio ſi moderare tuo?
Saltem à formoſis procul hoc arcere venenum
Pareťat, & fato has candidiore frui.
At nunc in pulchras hæc ſerpunt toxica primum,
Et timet illa minus, cui bona forma minus.
Scilicet vlla deos noſtri miſeratio tangit,
Et uotis illos ſolicitare iuuat.
Ingratis ergo iam nil ſuccenſeo terris:
Sidera (quis credat?) morbus hic alta petit.
Quid? ſpina atque rubus deſertis natus in agris,

Quo dicto aut facto demeruêre deos?
Ipſa tamen ſeruant rediuiuos ſemper honores,
Et roſa vere illis cum redeunte redit.
Quamuis & rigeant hyemali tempore paſsim,
At florum radix ſemina ſemper habet.
Nobis ver vnum ſpatijs arctatur iniquis,
Poſt quod perpetuo eſt tempore triſtis hyems.
Primáq; quum primum nobis defloruit ætas,
Flore etiam radix cum pereunte perit.
Heu nullísne meum ver eſt reuocabile votis,
Vt repetat ſedes priſtina forma ſuas?
Auro vir Macedo celſas inuadit in vrbes,
Nulláq; non auro mœnia tacta ruunt.
Quósq; chalybs nullus, ferrum nec vicerat vllum,
Hi victas auro ſæpe dedêre manus.
Quin & muneribus cælum gaudere loquuntur,
Venales auro rentur & eſſe deos.
Heu nulláne meum damnum eſt reparabile gaza,
Et nihil hîc auri robora tanta valent?
Theſſala de cœlo deducunt carmina Lunam,
Et reuocant animas carmina de tumulis.
Non poſſum magicas formam reuocare per artes?
Et Medea mihi ferre negabit opem?
Heu pro quo tantas repetunt dij crimine pœnas?
Et cur non potius crimina morte luo?
Sed quid ego hac demens cœleſtes voce laceſſo,
Vulnera quum propria ſint mihi facta manu?
Ipſa

Ipſa egò naturam volui ſuperare videri:
Verbera ſtultitia nunc ego digna fero.
Ceruſſa & minium, noſtri tectoria vultus,
Vos eſtis formæ prima ruina meæ.
Nam mea dum veſtris facies fuit óblita fucis,
Incepit rugas accelerare ſuas.
Pulchra fuit facies: quis me pigmenta coegit
Addere, mentitum quærere quíſve decus?
Idcircóne meos decuit medicare capillos,
Vt cito canerent, vt caderéntve cito?
Idcircóne mihi facies infecta rubebat,
Vt laxata cito poſſet hiare cutis?
Ergo ego dum caſſes alijs & retia tendo,
Heu nimis imprudens retia tendo mihi.
O pereant quicunque iſtis docuêre venenis,
Naturæ ſimplex commaculare decus.
Quis furor eſt, emptis corrumpere mercibus illam,
Cuius inempta magis dona placere ſolent?
O exciſa vtinam potius mihi dextra fuiſſet,
Quum tali primum eſt functa miniſterio.
Nam quoties fucis pulcherrima polluit ora,
Addidit heu toties tarda ſenecta gradum.
O quantum ſpeculo demens irata receſsi,
Quum cœpit rugas increpitare mihi.
An tu, dicebam, mihi vis illudere mendax?
Cur me quum cupio cernere, cerno aliam?
At mihi tu (memini) prius eſſe fidele ſolebas:

Mutato cauſam quam rear eſſe tibi?
Sic ſpeculum mutatum egomet mutata querebar,
Feſtinans aliud conſuluiſſe nouum.
Omnia laxatámq; cutem, extinctúmq; colorem,
Atque ſenectutis cætera ſigna dabant.
Nulli credebam, donec vileſcere cœpi
Queis fueram charis charior olim oculis.
Tunc ego mirari, tunc velle exquirere cauſam,
Tunc ſpeculum verax eſſe putare meum.
O ego quos planctus, mœſto quas ore querelas,
Quas ego tum lacrymas exanimata dedi!
Sed me nil planctus, nil me iuuere querelæ,
Nil iacta in cunctos verba proterua deos,
Quin deformauere genas lacrymæ: atque anus eſſe
Dum gemo, tũc & anus ſum quoque facta magis.
O nimium rapidum nimiúmq; volubile tempus,
Quàm præceps varias íſque redísq; vices!
Te, quum differres iuuenilia gaudia, tardum
Sum queſta: at pennas nunc queror eſſe tibi.
Heu pallorem olim grauiter maciémq; gemebam,
Lugebam & morbi cætera damna breuis.
At poterant paucis reparari menſibus illa,
Sæpe etiam amiſsis plura redire bonis.
Nunc me perpetuus morbus premit ipſa ſenecta,
Nunquam ſanandis plena ſenecta malis.
Ferte (quid hîc faciõ?) volucres mea mẽbra per auras,
Mergenda inſano flamina ferte mari.

Mortua

Mortua ſi noſtri pars vna, quid altera reſtat?
Et triſtis ſupereſt, læta ſepulta iacet?
Poſthac, extinctæ mater iuuenilibus annis
Gratetur natæ, nec notet vngue genas.
Felix cui viſa eſt mors nunquam optabilis, & cui
Gaudia cum vita clauſerit vna dies.
Felix cui portum curſu tetigiſſe ſecundo
Contigit, & nunquam naufraga facta fuit.
At tu cui ſpirant dulcis nunc tempora veris,
Diſce hæc quàm fallax quámq; ſit aura breuis.
Ego deos, vbi eris præſentibus vſa, precare
Vt te venturis eripuiſſe velint.
Aut ſi te cœlum ſeris quoque deſtinat annis,
Ne ſit in humano corpore vita tibi.
Daphne olim felix, quæ fœmina flore iuuentæ,
At non fœmineo corpore vixit anus.
Senſu erat aucta, iocos riſúsq; ferente iuuenta,
Senſibus at triſti tempore caſſa fuit.
Hoc mihi contingat diui. aut ſi numine veſtro,
Naturæ nequeo iura nouare meæ,
Extremum hoc ſaltem miſeræ concedite munus,
Si modò cor vobis non adamanta gerit:
Quando nil pulchri ſupereſt niſi corporis vmbra,
Sit mihi fas vmbræ conditione frui.
Sic oculos fugiam, non aſpectabilis vlli,
Opprobrij quò ſim conſcia ſola mei.

ANNOTATIONES
IN IDYLLIA
de Græco uerſa.

- ſed placidi rapit hunc pellacia ponti. Græca uerba ſunt, προθέει δὲ πολὺ πλέονα μεγάλαν ἄλα. Ex quibus nec eum quem ſecutus ſum, ſenſum, nec alium ullum elici poſſe, ſed nec uerſum ipſum conſtare, ſatis manifeſtum eſt. Lego igitur pro προθέει, προτάγει. & loco horum uerborum, πλέονα μεγάλαν ἄλα, ſeruatis omnibus elementis præter ultima duo, & inſerto μ, πλέον ἅμμε γαλάνα. Cui lectioni qui repugnabit, rationi repugnet neceſſe eſt.

- fallax uenatio, piſces. καὶ ἰχθῦς ἀπλανέδα ἄγρα. Et ſenſui & menſuræ uerſus magnam facit iniuriam hoc mendum. quod & ipſum paucis mutatis tollitur, ſi legas, ἁ πλαίος. Lucianus quodam in dialogo, quomodo ſit πλαίος, elegantiſsimè docet.

Quæ ſtrepitu oble ctat, non autem exterret agreſtem. Ατόρπῃ ψοφέοισα τὸν ἄγροικον, οὐχὶ ταράσσει. Quis non uideat hic legendum ἁ τόρπει? Quod autem ad uocem ἄγροικον attinet, non caret exemplo. habes enim hunc uerſum apud Theocritum, οἷα βλέπεις, ὁ παντα λαλεῖς, ὡς ἄγροικα παίσδεις. ubi alii malunt ſcribere ἄγριχα. quos ſecutus, uide an malis & in ἄγροικον expungere ο, ut ſit ἄγρικον. Non uideo certè quî retineri poſsit ο, ſi dactylum eſſe uelimus. Ergo, ut ex duobus malis leuiùs eligam, malim ἄγρικον legere, dum quid certius compertum habuero. mihi certè uterque locus ſuſpectus eſt. Eſt autem hoc primum idyllium Moſcho digniſsimum. cuius elegans ingenium oſtendit δρῶος δραπέτας, quo quid fingi aut cogitari poteſt uenuſtius? eiuſdem eſt & idyllium cui titulus eſt μεγαρα, quod falſò adſcribi Theocrito cognoui nuper Florentiæ. nam in bibliotheca Medicea librum reperi, (cuius uetuſtas fidem merebatur) in quo hoc aliis ipſius Moſchi idylliis erat coniunctum. Quod ego quum Michaeli Sophiano, uiro doctiſsimo, narrarem, hoc ita eſſe, alio exemplari à ſe uiſo, mihi comprobauit. Sunt uerò & alia quæ Theocriti nomine falſò

ſò circunſeruntur, ex quibus πέλεκυς & πτερύγιον, quum Simmiæ ſint poetæ Rhodii.

In idyllio Bionis, cuius initium; Aut ſæuum metuunt aut amplexantur Amorem, uerſu tertio, Nam quicunque canit dulcis contemptor Amoris, lego ſic Græca, ψυχὰν πω ἔχων ἀνάρσιον, ἀείδη. nam quorſum ὁπηδῆ?

In Theocriti Idylliis. Te barba offendit? tu me ad ſuſpendia coges. ἀπάγξασθαί με πεισεῖς. Poteram ita uerſum hunc ſcribere, Offendit te barba? mori me denique coges. Sed aliud eſt imitari, aliud, interpretari.

Quale rubent tenero madefacta roſaria rore. Lego ſic Græca, καὶ χρόα φοινίχθην ὑπὸ τὤλγεος ὡς ῥόδον ἕρσᾳ.

Ceſsiſſet glauco mihi lumine glauca Minerua. Legitur in nonnullis libris, ὄμματά μοι δ᾽ ἄρ᾽ ἔην χαροπώτερα πολλὸν Ἀθάνας. ſed melius, ut in ueteribus, ὄμματά μοι γλαυκῶς χαροπώτερα, &c.

Fiſtula ſiue mihi, ſiue utraque tibia detur. κἢν αὐλῷ λαλέω, κἢν δώνακι, κἢν πανυαύλῳ. lege πλαγιαύλῳ. ut apud Bionem, ὡς εὗρε πλαγίαυλον ὁ πὰν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα. quem uerſum illic ita reddidi, Panis obliqua ut ſit, ſit tibia recta Mineruæ, Mercurii chelys inuentum. In hoc autem Theocriti loco utranque tibiam dixi, quòd ea duo tibiarum genera paſtoribus eſſent uſitatiſsima. Sunt qui curuam tibiam interpretentur, ſed rectius obliqua appellatur. Hæc autem uox corrupta in magnum errorem quoſdam impulit.

Illius amplexus armenta petebat & inter. καὶ εἰς ἐμὰ παιδὶ κάθευδε. alii libri, εἰς ἕνα. Vtrunque perperam. legendum enim εἰσάμα. Et hæc quidem ſunt quæ per temporis anguſtias de Græcis transferre mihi licuit, non ſine aliqua certè moleſtia, dum & fidelis interpretis officio fungi, & concinnitatem Græci poetæ, quantum Latina lingua patitur, exprimere ſtudeo. Quanto certè minor ſit labor in transferendis in Græcum ſermonem Latinis, uel ex hac elegia Propertiana manifeſtum fuerit: quam à me Græcam factam (quòd uacare chartam nollet typographus) hic unà cum Latina, ut conferri poſſent, ponendam cenſui.

ΠΡΟΠΕΡΤΙΟΥ

ἐλεγεία εἰς τὴν ἑλλάδα διάλεκτον μετενεχθεῖσα.

Ὅς ποτε νηπίαχον πρῶτος τὸν ἔρωτα χάραξεν,
  τῷδ' οὐκ ἔχειν δοκέεις δαιμονίους παλάμας;
Οὗτος ἴδε πρώτιστον κενόφρονας ἔμμεν' ἐραστὰς,
  καὶ μελεδῶσι κεναῖς πήματα πολλὰ παθεῖν.
Εἶτα δὲ οὐκ ἀλόγως ἀνεμώδεά οἱ πτερὰ τεῦξεν,
  ὡς βροτέῃσι πέτεσθ' ἐν κραδίῃσι θεόν.
Κῦμα γὰρ ἄμμε φορεῖ παραμοιβαδὸν ἄλλοτε ἄλλο,
  οὐδέ πῃ ἡμετέρῃ ἔμπεδος αὔρα μένει.
Οὐδ' ἄρα χεὶρ εἰκῇ γαμψαῖς βελέεσσι κερύθη,
  ἐκ δ' ὤμων φαρέτρη κνωσίη ἐκκρέμαται.
Ἡμᾶς γὰρ βάλλει πρὶν ἐν ἀσφαλεῖ ἐχθρὸν ὁρᾶσθαι,
  οὐδ' ἄκεσις τούτου τραύματος οὐδαμινή.
Ἐν μὲν ἐμοὶ τάτε κῆλα καὶ ἡ παιδὸς μένει εἰκὼν,
  τὰς πτέρυγας δ' ἐν ἐμοὶ ὤλεσεν αὐτὸς ἑάς.
Οὐ γὰρ ἀποπτάμενός ποτ' ἐμῆς φρενὸς, οἴχεται ἄλλῃ,
  ἀλλ' ἐν ἐμῷ μάχεται αἵματι νωλεμέως.
Τίπτε τόσον χαίρεις ξηρῷ ἐνὶ μυελῷ οἰκῶν;
  εἰ παῖς εἶ, βάλλῃς ἄλλοσε κῆλα τὰ σά.
Φάρμακα τοῖα τρέπειν ἐπ' ἀκηρέϊ λώϊον εἴη.
  οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἀδρανὴς δαίρεται ἡ σκιὴ ἐμή.
Κὴν ταύτην ἀπολῇς, τίς ἔτ' ἔσσεται ὅς τάδ' ἀείσῃ;
  μοῦσά γ' ἐμὴ μικρὴ, σοὶ κλέος ἐστὶ μέγα.
Ἣ κάρα, κυανέους τ' ὦπας, καὶ δάκτυλα κούρης
  ᾄδει, χ' ὡς φιλέει βαινέμεν ἁβρὰ ποσίν.

Si puer es, aliò traiice tela tua. Alii legunt, Si pudor eſt. Mihi magis placet, Si puer es: ut inconſtantiam puerilem notet. Si tamen alicui altera lectio magis probatur, ita legat Græcum uerſum, εἴ τις ἔτ' αἰδώς σοι, βάλλε καὶ εἰς ἑτέρους.

PROPERTII ELEGIA
EX LIBRO II.

Quicunque ille fuit puerum qui pinxit Amorem,
  Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primùm uidit, ſine ſenſu uiuere amantes,
  Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra uentoſas addidit alas,
  Fecit & humano corde uolare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
  Noſtraq; non ullis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,
  Et pharetra ex humero Cnoſsia utroque iacet.
Antè ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem.
  Nec quiſquam ex illo uulnere ſanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago.
  Sed certè pennas perdidit ille ſuas.
Euolat è noſtro quoniam de pectore nuſquam,
  Aſsiduuſq; meo ſanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum ſiccis habitare medullis?
  Si puer es, aliò traiice tela tua.
Intactos iſtò ſatius tentare ueneno.
  Non ego, ſed tenuis uapulat umbra mea.
Quam ſi perdideris, quis erit qui talia cantet?
  Hæc mea Muſa leuis, gloria magna tua eſt.
Quæ caput & digitos & lumina nigra puellæ,
  Et canit ut ſoleant molliter ire pedes

FINIS.

AL DVS.

1141-9

A 962183

MU